

Direct. miscell. 3. T.

C. F. R. Vetterlein, 1810.


Samuelbaud! (Biss.)

(ell.)

Rubr. XVIII. Nro. 25. E.

Gymnasial - Bibliothek

zu Cöthen.



5333. 50

EPISTOLA ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΗ

AD

VIRUM CLARISSIMUM ATQVE DOCTISSIMUM

CHRISTIANUM SCHOETTGENIUM,
WURCENSEM,

SCHOLÆ FRANCOFURTHANÆ AD VIADRUM
RECTOREM ADJUNCTUM
DIGNISSIMUM.

QUA

IPSI DE NOVO HOC MUNERE GRATULATUR, SIMUL.
QUE HAC OCCASIONE AD MUNUS SUUM CAPESEN-
DUM DISCEDENTI FAUSTA QUÆQUE APPRECANS,
DE LOCO LUC. II, 49. PAUCA QVÆDAM
DISSERIT

M. JO. CASPAR KREGEL, SANGERHUSANUS,
LIPS. AD D. NICOL. CONCONATOR SABBATHICUS.

L I P S I Æ,
LITERIS IMMANUELIS TITIL.

PRISTOLA PEGOEMINUM
MEN CIVILISATIONE ET FIDEI PEGOEMINUM
CHRISTIANUM SCHOLASTICUM
ALLEGORIUM
SCHOLASTICARUM AD VITAM
PECTOREM ALIUM
DIGNISSIMUM
A
PRISTO NOVO HOC MUNERIS GRATULATRIS EMINI
GUT HAB. OOGVISONIS AD MUNUS SUMMO TESSERI
DUM TEGO PERTINENTIA PEGOEMINUM
HOC SOLO PEGOEMINUM
DISCERAT
M. IO. CASLVR KREGEI. GARNERIUS
1655 AD VI NODI CONGREGATIONE EMBLEM
APR 21st
ILLERIS IMMUNIBVS TITI



Um in eo jam occuparis totus, VIR CLARISSIME, Amice ex multis unice & amore plusquam fraterno dilecte, ut Musis Philyrea nostrae jucundissimæ ultimum dicas Vale, adque coelitus demandatum Tibi munus ex voto capessendum; discedas, duo illi contraria affectus, dolorem innuo & latitiam, omnium bonorum studiis-

que ac fortunæ Tuæ faventium animos occupare, certareque inter se haud leviter mihi videntur. Dolent sane amantissimi Parentes, omnesque Tibi vel sanguinis, vel alio quopiam amicitia sanctioris vinculo juncti, quod Te, qui singulare gaudium solariumque haud vulgare, imo decus & ornamentum familiæ unicum hactenus fueras, in aliam eamque diffitam adeo terram debeat dimittere, nescii plane an unquam faciem Tuam iterum visuri & in amplexus Tuos suavissimos ruituri sint. Dolet dulcissima civiumque suorum studioissima Patria, & quilibet in ea probus, quodis, qui scholæ latèque in spem multorum succrescentis juventutis patriæ commoda & incrementa quavis data occasione promovere, consiliaque hanc in rem optima suppeditare seruebat, quique egregia sua doctrina literisque haud vulgaribus eximium patriæ suæ conciliat splendorem, & de quo proinde illa ceu optimæ nota filio, ringant licet malevoli, ac rumpantur Codro ilia, impense sibi gratulari potest, quod is, inquam, præsentiam suam cuivis gratissimam maximeque proficiam subtrahere, & pretiosos scientiae suæ thesauros mul-



to sudore conquisitos in alienam regionem exportare, eamque
 ditare, supremo eoque sanctissimo semper sic statuente fato,
 se accingat, supremumque natali solo sigat osculum. Dolent
 Musæ nostræ Charitesque Lipsienses, quod filium suum genui-
 num sibi simillimum, quem in Helicone suo lâte crescen-
 tem, egregie certantem, ex merito coronatum, doctissimosque
 subinde foetus edentem non sine animi delectatione viderunt
 hactenus, e sinu jam suo, quo in perpetuo eum complecti ar-
 etissime ac fovere malent, dimittere teneantur. Dolent Ami-
 ci ac Familiares, quod ab eo divulsi in posterum vivere debeant,
 cuius lateri adhærere frequentiorique conversatione frui & sum-
 ma jucunditas & haud contempnenda erat utilitas. Sed & Ego
 in primis doleo maximeque ob discessum Tuum, *Frater Deside-
 ratissime*, commoveor, (unde nec miraberis, quod oratio mea
 adeo sit hiulca, maleque dolore subinde sensus turbante cohæ-
 reat) siquidem in Te talem me amittere Amicum, qualem nec
 habuisse unquam, nec olim forte habiturum me, candide pro-
 fiteor. Viximus certe non uno saltem vel altero anno, sed per
 annorum bene multorum seriem haud interruptam sine ulla of-
 fensione & querela, & nunquam, quod quidem sciam, per omne
 vitæ nostræ tempus suimus reconciliati. Amor ille, qui primum
 corda nostra conjunxit, facer & illibatus permanxit semper, ma-
 nebitque & in vita & in morte inextinguibilis igneque Persarum
 sacro & perpetuo longe durabilior. Ut Nos unum Gymnasium,
 una ibidem classis forsque locationis una, una Academia, unus
 convictus, unum ferme studiorum genus, unus dies in conse-
 quendis studiorum præmiis & honoribus, & denique unus quo-
 que dies in edendis quibusdam studiorum speciminiibus (qui-
 dem mira summi Numinis directione accidit, ut uno eodemque
 die, die scilicet XXVIII. Novembr. anni præterlapsi, uterque no-
 strum, Tu quidem Francofurthi in schola vel curia potius, Ego
 vero h̄c Lipsiæ in Templo Thomano, *doxuas* quandam pu-
 bli-

blicam, quam ab utraque parte felix insequebatur eventus, sustineremus) arctissime conjunxit, ita viximus quoque, quamdiu vivimus, quam conjunctissime, nec alia nobis quam jucunda vitae anteacta est recordatio. Hinc tanto agrius jam discessum Tuum fero, quanto firmius per diuturnam adeo consuetudinem animi nostri sunt colligati. Sed licet dolor meus, quem cum Tuis habeo communem, sit justissimus, latitiam tamen, quam ex fortuna Tua praesenti percipio, ut is vincat, fas non esse puto. Dollet equidem mihi, Te partem animae meae maiorem a me divelli, sed & divulgam illam animae meae partem felicem esse & ex sententia vivere, hoc est, quod dolorem minuit, latitiamque patitur haud exilem. Sic namque fuit in satis, ut ad eum ires locum, quem Tu nunquam puraras primam fortunae ac industriae Tuæ scholastica fore palæstram, & ad quem nihil tale cogitans divinitus es evocatus. Quapropter Ipse etiam de nutu quippe divino certissimus fata coelestia, quo trahunt illa retrahuntque promte sequenda, Deique obsequium Parentum, propinquorum ac familiarium voluntatibus & desideriis anteponendum longe esse, gravissime censes, Nobisque qui discessum Tuum inceremus & pene a proposito Te retrahere conanmur, cum Apostolo quasirrespondes: τὶ ποιεῖτε κλαίοντες καὶ συνθρύπτοντες με Act. XXI, 13. τὴν νεφέλαν; Quid facitis, quo Iustiu ac mærore vestro animum meum ita frangatis & emolliatis, paratus quippe sum voluntatem Dei sanctissimumque ejusdem decretum adimplere, omniaque, que me forte manent, aspera propter nominis sui gloriam letus perferrere. Vel verbis potius Salvatoris nostri optimi, quæ Parentibus suis de amissione ejus multum perturbatis in memoriam revocabat, quaque hoc ipso discessus Tui die a verbi divini Tractatoribus pulpitis ex sacris populo prælegi solent & explicari, Nos alloqueris: Quid est, quod me queratis tantumque de ab- Luc. II, 49. sentia mea concipiatis dolorem? Enī quidē, ὅτι ἐν τοῖς τέ Πατέρεσ με δὲ ἔνοι με; An nescitis, quod in iis, que Patris mei sunt, oporteat me esse? Quæ verba quum, ut cuivis legenti statim patet,

sint elliptica, inter Interpretes non adeo convenit, qua voce de-

v. Jo. Buxtorf. fectus illerite suppléri debeat. Duos proinde constituunt illi
fius in Catal. choros, quorum unus τόνοι vel ὕψηστοι, alter vero πρόγυμνα
Phil. Theol. c. 28. p. 29. Sal. vel ἔγχοι, subintelligendum esse statuit. Juxta primam Interpre-
Glaifius Phil. S. L. 3 Tr. 2. p. 4. intelligunt, mens Christi huc credit, oportere se esse in Patris sui
694.

sede & loco, hoc est, in Templo & domo Deo ad cultum ipsi
præstandum peculiariter dicata & consecrata, prout ipse Christus
Templum Hierosolymitanum ἡγεμόνων τὴν πατρὸς ἀντὴν, Domum
Patris sui, vocat Joh. II, 16. Ut ita Salvator domui ac ædibus
Parentum suorum juxta carnem, ad quas cum ipsis reverti debu-
isset, domum ac ædes sacras Patris sui coelestis, in quibus ipsi ceu
Propheta magno & Doctori a Deo misso, versandum potissi-
mum sit, opponat. Hanc versionem ut magni nominis Viri,

v. Theoph. A- melius Erör. ter. T. II. p. 54. feq. Hammonius, Grotius, Jo. Vorstius, Fullerus, Lud. Capellus,
Scultetus, Keuchenius, Fesselius, Lamb. Bos, aliquic adopta-
rent, dux ipsis & autor sine dubio extitit Syrus Paraphrastes, qui
τὰ τὰ πατρὸς περ ἀβί, domum Patris, explicavit. Qua-
tuor v. rationibus translationem jam datam stabiliri posse Patro-
ni ipsius putant (α) vaticiniis Prophetarum, quae Messiam ad
Templum, Patris sui domum, venturum præcipiant. De quo
notandus in primis sit locus Malach. III, 1. 2. 3. in quo prænuncie-
tur ad Templum suum venturus Dominus idemque Angelus
foederis, & Levitas s. Doctores Legis purgaturus velut aurum
& argentum defæcaturus. Hujusc prædictionis insigne spe-
cimen dedisse Jesum narret Lucas in præcedentibus, sedisse ni-
mirum eum in Templo, in medio Doctorum, eosque audivisse
& interrogasse, omnesque auditores scientia & responsis ejus
percusso fuisse. Procul dubio, pergit Keuchenius, cuius ore
hactenus locuti sumus, Christus jam tum celestem veritatem
adstruxit & in templo Doctorum corona stipatus errores dile-
gere, filiosque Levi a falsis opinionibus purgare & defecare, &
hoc

cf. laudatus
Amelius I, c.
p. 61.

hoc modo Prophetarum, & in primis Malachiae iaticinia implere aggressus est. Quod cum ipsi in Templo per agendum esse Parentes per spicere potuissent & debuissent jure merito iis regerit, nonne sciebatis, oportere me esse in domo Patris mei? An v. ratio haec satisfaciat, & non potius ea, quæ Malachias de Christo predixerat, quæque ex mente Keuchenii jam implere aggrediebatur Salvator, alteram versionem, qua per τὸν πατέρα, negotia a Patre coelesti Christo demandata, & in primis officium docendi & errores a Phariseis inventos refutandi & expurgandi, intelligi alii censem, confirmant magis, judicent qui possunt; nobis jam non est integrum latius id deducere. Neque enim simpliciter necessum erat, ut Christus ad negotia Patris exequenda in Templo potius, quam alibi versaretur, verba sunt Cl. Buxtorffii. l.c. Quam assertionem fundamento suo non desitui, ex Historia Evangelica, quæ Christum sepius extra Templum, quam in Templo, Filios Levi purgasse, aliaque negotia Patris expeditissime, aperte satis loquitur, abunde constare potest. Ad Templum equidem suum venire debebat Messias, sed quis inde evincat, eum ibi, & non alibi, constanter commemorari ac docere debuisse? (β) probant, per τὸν πατέρα intelligi Dominum Patris. Templum, ex genio linguae & modo loquendi, quem sensum hunc commode ferre posse, hujusque locutionis plura indicia apud LXX. Senes & profanos autores extare, afferunt. Loca vero I. Cor. I, II. & Rom. XVI, 10. II. ad quæ Keuchenius provocat, dubito an rem extra omnem ponant controversiam, quum latius clare Apostolus non tam ad dominum, quatenus ea notat edificium & commemorationis locum (quam notionem tamen habere hic vox domus debet, si id, quod intendunt ἡ οὐαὶ ἐπαυτοῖς, evincere inde volunt) quam ad familiam potius ac domesticos, digitum intendat. Quod enim objicit Keuchenius: *Nisi Genitivus τῶν a Nominativo τῷ, sed ab ὦ derivetur, & dominum non denotet, quæ locutio Graeca erit*

v. Lamb. Bos
in Ellip. Gra-
cis p.m. 138.

¶ (8) ¶

erit τὸς ἐν τῷ, & annon potius dixisset Apostolus, τὸς Ἀγιστοβέλε? nullius plane est ponderis, & ab ipso diluitur Apostolo per appositum προσδοξουμὸν: τὸς ὄντας ἐν Κυρῳ. Salutari quippe jubet Apostolus τὸς ἐν τῷ Ἀγιστοβέλε & τὸς ἐν τῷ Νερκοσε, scil. τὸς ἐν τῷ ὀντίων Ἀγιστοβέλε καὶ Νερκοσος ὄντας, illos, qui sunt ex familiaribus s. domesticis Aristobuli & Narcissi, uti sensum exprimunt Er. Schmidius & Lamb. Bos; & quidem salutari jubet Apostolus non omnes domesticos promiscue, sed tantum τὸς ὄντας ἐν Κυρῳ, illos, qui ἐν τῷ Ἀγιστοβέλε & Νερκοσε, ex domesticis Aristobuli & Narcissi erant fideles & Christiani. Unde est, quod τὸς ἐν τῷ, non v. τὸς Ἀγιστοβέλε, dicat, quia sine dubio non omnes ex familia & domesticis Aristobuli & Narcissi Christiani fuere & fideles. Ut adeo exempla hæc ad salvandam locutionem, τὰ τὰ Πατρὸς denotare h. L.

Annot. in N.
T. p. 1038.
in
Ellip. Græc.
p. m. 137.

Advers. facr. L.IV. c. 6. §. 3. domum l. Templum, plane nihil faciant. Magis forsitan ad rem esse possit exemplum, quod Fesselius ex Josepho affert, quando inquit: *Quod ne cui mirum videatur (ἐν τοῖς scil. hic idem esse, quod ἐν τῷ ναῷ, in Templo) occurrit similis phrasis eodem sensu apud Iosephum: τὸν τε χρυσὸν νορᾶ τὸν ἐν τοῖς τῷ Διὸς αὐτῷ μεν, ubi ἐν τοῖς manifeste ponitur pro ἐν τῷ ναῷ. Sed pergimus ad (γ) rationem, quam ex consensu & testimoniis antiquorum, Origenis v. gr. Euthymii, Theophylacti, aliorumque desumunt; quod argumentum tamen ultra præjudicium dignitatem vix assurgere quilibet videt, quippe quum autoritates autoritatibus ac patribus opponere patres res sit oppido facilima.* Tandem v. (δ) totum contextum & dictio- nis filum Christique scopum sensum hunc suadere, demon strare satagunt. Mariaenim, verba sunt Keuchenii, eum quase corripiens ait, *quid nobis ita fecisti? Pater tuus & ego an- kie te querebamus, nimirum quo in loco te affequi nobis daretur: ad quod Christus respondet, quid querebassis me? scil. in locis qui- buscumque, an nesciebatis, oportere me esse uno in loco, nempe in*

in domo Patris mei? Hanc rem si probe pensasti etis, non in vanum
 me ubicunque, sed in solo templo, quo me officiū ratio vocat, quæ si-
 vissetis. Si autem per rā tā P̄t̄r̄c̄s, negotia Patris intelliga-
 mus, præterquam quod non tam apposita sit Christi responsio, ideo-
 ne in templo querendus fuit? annon̄ alibi & que ac in t. m̄plo Pa-
 tris sui negotia curare potuit? nonne ea ubique & semper curavit?
 Et quaratione ex eo, quod Patris negotia Christo commissa essent,
 parentes certio colligere potuerunt & debuerunt, Jesum non nisi in
 templo querendum fuisset? si vero praefatis h̄c rā tā P̄t̄r̄c̄s domum
 Patris exprimat, sponte omnia fluunt. Parentes enim scire po-
 tuerunt & debuerunt, Christum oportere esse in domo Patris sui,
 sane neque alibi eum adeo anxie querere opus habuissent. Sed
 reponenda h̄c sunt, quæ ad primam rationem jam monuimus,
 assūmitque Keuchenius pro certo, quod adhuc erat in quæstio-
 ne. Vndenam quæso probabitur, Christum soli templo ita fir-
 miter esse alligatum, ut ibi, & non alibi, quæri a Parentibus de-
 buerit? & quomodo Parentes scire potuerunt & debuerunt,
 Christum oportere esse in domo Patris sui, quum hac de re nec
 vola nec vestigium extet, nec ipsi ullum præceptum monitu-
 que divinum haberent, quod Filius ipsorum instar Samuelis, vel
 Sacerdotum ordinariorū, in Templo debeat commorari vi-
 tamque suam ibidem transfigere? Et cur non mansit Christus in
 Templo & domo Patris sui, si oportuerit omnino eum ibidem
 esse? Hoc autem Parentes Domini poterant & debebant scire,
 commissa esse Christo a Patre cœlesti sublimia quædam negotia
 ac opera expedienda, quæ omnibus aliis negotiis multum sint
 anterferenda. Quumque adeo Filium suum inobsequentis cu-
 jusdam animi jam tacite illi insimularent, quod incīsi Parenti-
 bus remanserit, provocat Salvator ad Patrem suum cœlestēm,
 cui magis, quam quidem hominibus sit obediendum, & quod
 negotia sibi injuncta sint ab eo talia, quæ omnibus aliis humanis

negotiis & obsequiis sint præferenda, quæque ipsis ignota haud
 esse debeant, responsione sua data luculenter satis insinuat. Pla-
 cet mentem Christi verbis Thom. Cartwrighti declarare, qui ita
 Harmon. Ev-
 angel. p. 83.
 eam proponit egregie: *Quid me querebatis? an non ex his, que
 vidistis indicis multis, & ex his, que audivistis cum hominum-
 tum divinorum Angelorum testimoniis scire debebatis, mibi non
 tam incumbe vos observare, quam celestis Patris mein negotia-
 procurare?* Dicis: *Ideone in templo querendus fuit? annon &
 alibi eque ac in templo Patris sui negotia curare potuit? nonne
 ea ubique & semper curavit? & quaratione ex eo, quod Patris sui
 negotia Christo commissa essent, parentes certo colligere posuerunt
 & debuerunt, Jesum non nisi in templo querendum fuisse?* Re-
 gero, imo vero curare potuit Christus negotia Patris sui celestis
 extra Templum, & ipso facto sapissime alibi curavit, hocque
 illud omnino esse, quod contra Keuchenium eumque sequaces
 militet, quippe qui, dum τὰ τὰ Πατρὸς per domum Patris s.
 Templum explicare annititur, eo ipso Christum ad solum Tem-
 plum, quo officii sui ratio eum vocet, ablegat, ut ibi potissi-
 mum officium suum exequatur, & negotia Patris sui expediat,
 ibique proinde querendus tuto & inveniendus sit. Recurrit
 autem jam quæstio, unde certo constet, Parentes Christi Filium
 suum in Templo tantum querere debuisse? aut, quis affirmabit,
 ipsos data opera Filium in Templo quæsivisse? Illud potius
 seriem historiæ attendenti paret, bonos illos & de amissis fa-
 cratissimo suo pignore nimium anxios Parentes ex insperato Fi-
 lium suum in Templo, quo se cultus divini & precandi gratia
 contulerant, invenisse. Id quod verba: *Kαὶ ἐγένετο, μεσθικοῖς τρέας εὐγενῶν αὐτῶν ἐν τῷ ιερῷ καθεδρεύεντος καὶ ἀδόποις αὐτῶν ἐξεπλάνησαν, οὐαὶ ἐκπλήξεις* ex repentina & insperata visione & in-
 ventione Filii sui oriebatur, dilucide satis tradere videntur. Et
 ne quem verbum εὐγενοῦς offendat, ac si Parentes omnino data
 opera

¶ (II) ¶

opera Filiū suū in Templo quāsiverint, notum esse puto,
 ἐνγένεν non semper notare prævia quadam inquisitione aliquid
 invenire, sed sæpissime etiam, ex improvviso in aliquid incidere,
 ac rem quampiam sine impensu labore offendere ac consequi. v. conf. Geier.
 Matth. XVIII, 28. XXII, 9. 10. Luc. I, 30. IV, 17. XIX, 30. Jo. I, 42. in Pl. p. m.
 2028.
 44. II, 14. V, 14. Ad. IX, 33. X, 27. XIII, 6. XVII, 23. aliaque loca
 quam plurimata in V. quam N. T. autoresque profanos ubivis
 obvia. Ut adeo Christus in data Parentibus suis responsione non
 tam loco locum, in quo querendus & inveniendus sit, quam ne-
 gotia potius negotiis, negotia scil. Patris sui cœlestis negotiis
 quibuscunque humanis, imo obsequium Patri suo æterno debi-
 tum obsequio Parentibus nostris oīcīa præstanto, opponat. Un-
 de omnino alter Interpretum chorus rectius mihi facere vide-
 tur, quando per τὸν τὴν Πατέρα, negotia & opera, quæ Christo a
 Patre cœlesti demandata, quæque in terris peragenda erant, &
 quorum Christus primum jam illudque egregium satis specimen
 edebat, intelligit. Quam quidem verborum Domini exposi-
 tionem priore illa aptiore cum sæpe laudato Buxtorffio judi-
 co, eamque & modo loquendi, & scopo Christi, qui ex hoc us-
 que disputatis satis elucescit, convenientiorem longe esse, per-
 suasus sum. Quod enim Fullerus & Lamius, inferioris Saxo- Erster. T.II.
 niae Philologo & Theologo celeberrimo, cui sub Theoph. Ame- p. 63.
 lli nomine latere placuit, annotante, existiment, phrasin hanc
 ἐν τοῖς τὴν Πατέρα ἔνεστι nunquam significare in rebus Patris oc-
 cupari, id quidem liberaliter satis & inconsiderate plane asseri
 certissimum esse arbitror. Namque ἔνεστι ἐν τοῖς περὶ γρατίᾳ, omni-
 no in re aliqua occupatum esse significare, Viros illos doctissimos
 vel solus docere poterat Paulus, qui Timotheo suo præcipit:
 Ταῦτα μελέτα, ἐν τέτοιοιδί, hec meditare, in his eis occupatus, 2. Tim. IV, 15.
 his operam des; Quod non Hellenisticum esse, Er. Schmidius
 ad h. l. monet, locumque ex Tragoedo quodam Camerarium
 alle-

allegare obseruat, ubi ū̄ eōn ēv̄ p̄ētōus iā, qui iuncubunt studiis
sapientie memorentur. Hanc locutionem apud alios quoque
 profanos, Artemidorum scil. Heliodorum, Achillem Tatium,
 Longum, Libanium &c. occurrere, Amicus meus integerimus,
 cuius in honorem hæc scribo, in Additionibus suis ad
 Lamb. Bos Ellipses Græc. p. m. 168. docte probatum dedit.
 Quumque alias in articulo Neutrius Generis τὸ l. τὰ cum Ge-
 nitive nominis magnus apud Græcos ellipsis vocis πρέγματος
 sit usus, ut ipse citatus modo Ellipsis Gr. Autor Clarissimus fa-
 tetur, & p. 167. in allegatis exemplis illud quoque τὰ τὰ οὐεῖ ad-
 ducit; conf. 1. Cor. VII, 32.33.34. cur non & h. l. ἐπὶ τοῦ Πατέρος
 ἔναι subintelligendum sit nomen πρέγματον, l. ἔγγοις, ego qui-
 dem fateor tam perspicax non sum videre id qui possim. Neque
 omnino de nihilo esse puto, quod ipse Salvator tam frequenter
 ad ἔγγοις hæc & negotia, quæ a Patre sibi commissa sint, & inter
 quæ officium docendi, hominesque in iis, quæ ad salutem ipsorum
 aeternam spectant, erudiendi, haud erat postremum, pro-
 vocet, uti ex Jo. IV, 34. V, 19.20.36. VIII, 26.28.29. IX, 4. X. 25.
 32.37. XVII, 4. XVIII, 37. &c. afflatim videre licet. Quemadmo-
 dum enim venerat optimus Salvator hunc in finem, ut benepla-
 citum & voluntatem Dei Patris sui summa cum animi delecta-
 tione ac promptitudine exequeretur, legemque ac decretum e-
 jus intimis in visceribus uti reconditum habebat, sanctissimeque
 observabat; Ita non solum puer duodecennis ea, quæ Patris
 celestis & officii sui demandati erant, sedulo curare incipiebat,
 sed & annis crescentibus in his erat totus, ipsique officii sui ex-
 ecuatio instar cibi erat maxime delectabilis, secundum proprium
 effatum: Εὔηρ Θεόμυχλ ἐν, ἵνε ποιῆται τὸ θέλημα τὴν πεμψάτος με,
 καὶ τελεώνων αὐτῷ τὸ ἔγγον. Brevissimis ut dicam, Filius Patris
 sui erat δίγαστος, in quo Patri summopere complacebat, hinc
 Filius quoque Patris suo per omne vitæ tempus erat obsequen-
 tissi-

Pf. XL, 8.9.

Jo. IV, 34.

tissimus, ea que agens, quæ Patri non nisi grata temper & accepta esse poterant. Εταπένωτεν ἔστι τὸν γενόμενον μέχρι Phil. II. 8.
 Θαύάτε, θαύάτε δὲ σαυτὸς, ut testis est Apostolus. Sed hæc qui-
 dem sufficiant, e diverticulo redeamus in viam. Dixi paulo
 ante Te, Frater desideratissime, verbis Salvatoris hoc usque e-
 nucleatis Nos, qui discessum absentiamque Tuam plangimus,
 alloqui quasi, decretumque & voluntatem Patris coelestis ad-
 nimum Nobis revocare. Neque hoc sine injuria. Intelliga-
 mus enim verba illa quomodo cunque velimus, ad Te suo modo
 poterunt quam optime applicari. Summum Numen Tuum
 quoque esse Patrem, hujusque rei hominem Te ratione prædi-
 tum creando, creatum conservando, conservatum innumeris
 beneficiis affiendo, in primis vero in filium per fidem in Chri-
 stum Salvatorem Te adoptando, & κληρονομίαν illam ἀφθαρτού, i. Petr. I. 4.
 καὶ αὐτούς, καὶ αὐτός τον, τετηγένετον ἐν ἡγαντί, gratiose le-
 gando, documenta dedisse eum luculentissima, nemo certe erit
 qui ambigat. Cum Christo igitur ἐν τοῖς τοῦ Πατρός σε oportet
 Te esse jam, hoc est, si priorem assumamus explicationem supra
 auditam, in templo, vel Synagoga potius Templo contigua,
 sive, ut uno verbo exprimam, in schola, quæ Synagogæ veter-
 um Judæorum fere respondet, Te oportet esse & laborare. Sal-
 vatorem enim nostrum non in ipso Templo Hierosolymitanó
 proprie sic dicto sedisse, quippe quod nemini licuerit, imo ne
 Regi quidem, nisi ex familia Davidis esset, sed in Synagogæ Tem-
 plo contigua, ex Hebreorum ritibus ostendit summe Rever. Obser. facr.
 Sal. Deylingius. Tres autem consessus fuisse in Templo,
 unum in porta atrii gentium, alium in porta atrii Israëlis, tertium
 in concavi Gazith; imo Synagogam intra Templum quo- Hor. Hebr.
 que fuisse, prope atrium in monte Templi, ex Sanhedrin & Jo- p. 741.
 ma Cel. Jo. Lightfoot opportune docet. Ad scholam itaque & Basnagius
 quum Te, Amice Doctissime, & natum statim & sufficienter in- ap. Amelium
 stru- Erret. T. II.
 p. 89. sq.


structum, & vocatum jam esse legitime, nemo non fateatur, quid mirum, quod ad eam servidissimo animi desiderio properes, ibidemque vitam transfigere firmissimum teneas propositum? Altera vero verborum Christi si placet expositio, Te sic quoque *è rōis rōis Pateros* oportere esse dicendum erit, quum & Tibi a Patre cœlesti certa quædam opera & negotia sint mandata, quæ summa cum cura ac diligentia procuranda & exequenda esse probe nosti. Sunt illa opera in primis, gloriam Dei Patris quovis modo promovere & illustriorem reddere, cognitionem Christi, totius mundi Salvatoris unici & perfectissimi, vividam teneris mentibus usque quaque instillare, meritumque ejus sanctissimum & maiestatem summam masculine asserere, & sarta testaque ubivis ea ut sit provide vigilare, ea, quæ ad salutem æternam assequendam, vitamque pie ac tranquille peragendam faciunt, fideliter docere & identidem inculcare, corruptos mores in veteratasque traditiones ac consuetudines haud probandas corrigeret & expurgare, contra vero talia sparge re semina, unde & solidæ eruditio & pietatis haud fucatae se ges latissima succrescere, semper copia esse possit eorum, per quos efficiatur, ut aula, curia, ecclesia, schola, totaque hominum communio, floreat semper felicique fruatur conditione. Scholæ enim non male dicuntur viridaria quædam, ubi variæ plantantur & seruntur arbores universæ hominum societati profuturae olim & fructibus eam exhilaraturæ dulcissimis. Quales itaque arbores ibi plantabis, tales habebis postea, talesque fructus ab eis tempore suo leges. Vides ergo, *Frater Exoptatissime*, Te invenire hic campum sane spaciousissimum, ubi industrias Tuam exercere, Deoque & Patronis fidem ac dexteritatem probare poteris. Et quum fervor Tuus singularis tam gloriam Dei quam salutem proximi totis viribus promovendi mihi sit notissimus, Teque *è rōis rōis Pateros* quæ constans-

tissime perseveraturum esse, nullus plane dubitem; hinc gratulator omnino Scholæ isti, cui Deus Te donavit moderatorem, quippe ex qua in posterum quamplurimos & probos & doctos Viros manu Tua felicissima satos prodituros esse non vane augor. Gratulor illis, quibus ab ore Tuо doctissimo pendere, optimasque doctrinas ac suavissima monita patulis haurire auribus, feliciter contingit. Gratulor Tibi, quod Deus sorti Tuæ adeo laute profpexerit, studiaque Tua laudatissima ita ornet splendidissime, ut omnia cedant ex voto, occasionemque exoptatissimam eruditio[n]is Tuae exasciatæ thesauros expromendi, & talento quod Clementissimum Numen concescit Tibi egregio scenrandi liberrime, nanciscaris. Gratulor Parentibus optimis, quod talem in Te habeant, qui ipsis summum creat gaudium, summumque parit decus & ornamentum. Gratulor denique mihi quoque, quod Amicum in Te habeam ut integerrimum ac fidelissimum, ita nunc etiam honoribus haud exiguis conspicuum. Animi equidem sum ægerrimus, quando amicitia nostra per annos adeo multos culta, & ex qua summa semper cepi voluptatem, recordor, fatalemque discessus Tui diem, qui amplexus gratissimos tam subito dissipat, fidaque oscula in perpetuum forte revellit, jam recogito. Verum licet duodecimus hic Januarii dies corpora divellat & amplectus, corda tamen nostra per amicitiam duodecim ultra annos cultam firmissime combinata, neque hunc, neque ullum diem alium, imo nullam plane ætatem divulsuram esse confido. Ego certe, quum corpore jam minus licet, pectore tamen fido nusquam a Te abero, longisque non tantum nunc rhedam Tua mequar votis, sed & ubi *èis ræ idæ* perveneris Tecum semper ero, Tecum ambulabo, Tecum loquar, Tecum jocabor, nec ullo die memoria Tui apud me cessabit. Vade modo benignis syderibus, cursuq[ue] felici iter Tuum absolve! Deus Te comite-

mitetur, Deus Te protegat, Deus Te servet, mi Optime, vi-
resque largiatur integras, sanitatem inconcussam, vitam lon-
gævam, fortunam placatam, ut multis usui, Tuisque & mihi
ipsi gaudio acsolatio esse possis quam diuissime! Quum olim
Hipponensium ille Präfus doctissimus Augustinus jam senex a-
pud Clerum & populum successorem sibi diceret Eradium, in-
ter alia fausta multoties a populo acclamabatur: *Deo gratias!*
Christo laudes! *Exaudi Christe, Augustino Vita, Eradium conser-
va!* *Fiat!* *Fiat!* Ad euudem modum mihi quoque, ut voto-
rum faciam compendium, Tibi, *Frater Desideratissime*, qui et-
iam seni cuidam emerito in Schola Successor datus publiceque
dictus es, ultimum acclamare liccat: **DEO GRATIAS! CHRI-
STO LAUDES! EXAUDI CHRISTE, SCHOETTGENIO
VITA! EXAUDI DEUS, SCHOETTGENIUM CONSER-
VA! FIAT! FIAT!** Vale! Scribebam Lipsiæ Domini-
nica I. post Epiphan. A. R. S.

M DCC XVI.





004 6354
VD 18

ULB Halle
002 842 548

3



84

VD 17

Rutho

5333.50

B.I.G.



EPISTOLA ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚΗ
AD
VIRUM CLARISSIMUM ATQVE DOCTISSIMUM
CHRISTIANUM SCHOETTGENIUM,
WURCENSEM,
SCHOLÆ FRANCOFURTHANÆ AD VIADRUM
RECTOREM ADJUNCTUM
DIGNISSIMUM.
QUA

IPSI DE NOVO HOC MUNERE GRATULATUR, SIMUL-
QUE HAC OCCASIONE AD MUNUS SUUM CAPESEN-
DUM DISCEDENTI FAUSTA QUÆQUE APPRECANS,
DE LOCO LUC. II, 49. PAUCA QVÆDAM
DISSERIT

M. JO. CASPAR KREGEL, SANGERHUSANUS,
LIPS. AD D. NICOL. CONCIONATOR SABBATHICUS.

LIPSIAE,
LITERIS IMMANUELIS TITII.